Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2129
Quelle:
Copyright:

perii sive globum terraqueum gestans, cui sedenti adstat armatorum manipulus duce vexillum, in quo cancer aut scorpio, et clypeum viridem, in quo rota rubea, praeferente. Juvenem inermen, pileolo viridi deposito, medium tenent, eumque sedenti sistere videntur. In ora supera Papilio Polychloros *Lin.* scite expictus est. *Fol.* 67. ad textum: *Nudus egressus sum* &c. *Job* in sterquilinio visitur. *Fol.* 70. *Tobiae* senioris caeci πεοτομη, tum junior cum *Gabriele* paciscens, demum pia Mater dolentis adfectu, addito lemmate: *Utinam pecunia non fuisset, pro qua misimus!* pulcre exprimuntur. *Fol.* 109. p. 2. ad Iconem, qua *Christus* in crucem tollitur, per margines florulentos disposita sunt sequentia: Hebraei in serpentem aeneum sublime elatum intuentes, *Maria* cum flentibus mulieribus, quas Judaeus e litera initiali velut prorumpens sanna irridet, *Christus* crucem bajulans, idem in monte *Oliveti* orans, Discipuli eminus dormitantes, et *Judas* bursifer agmen in hortem inducens. *Fol.* 116. p. 2. Triumphus *Michaelis*, cujus in clypeo caput *Medusae*, Angelis in ora supera Paeana concinentibus, in infera malis Geniis euntibus in praeceps. *Fol.* 126. p. 2. Agmen infestum praemissis sagittariis virgineo *Ursulae* Coetui imminet. Huic Picturae non admovit ultimam manum Artifex, uti et deinceps. Ita *fol.* 132. p. 2. et *fol.* 34. p. 2. praeter partes jam deauratas sola linearis adumbratio habetur, *fol.* 142. p. 2. variorum Martyrum supplicia partim delineata, partim penicillo adfecta, partim finita sunt; unde, quam rationem tenuerint in suis laboribus Pictores illi, discat artis curiosus. Sequuntur tamen et Icones aliae absolutissimae.

DCCCLXXXV.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 229. f. max. ejusdem cultus, nisi, quod Iconum loco ad Festa Domini praecipua literis Initiorum adfabre picturatis et deauratis gaudeat, eadem Psalmodia Chori est, atque ut de antiquis Possessoribus nullum sit dubium, tam praevio, quam postremo *folio* manu Sec. XV. adscriptum est: *Iste liber est Domus sancte Trinitatis in konigsfelt*, puta ad *Brunnam Moraviae*, quae cum aliis Carthusis Ditionis *Austr.* nunc diem suum obiit. R. 2158

DCCCLXXXVI.

Codex membraneus lat. paullo junior, ut ratio Picturae suadet, Folior. 205. f. maj. eadem continet, et ad eandem Familiam pertinuit, ut argumento est Frontis Icon *Carthusianum* elevatis manibus, flexisque genubus precantem exhibens. Id quod probe convenit primo Versui: *Ad te levavi animam meam* &c. R. 2176

DCCCLXXXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 299. 4. currente calamo R. 82